



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

XIII. Quomodo coram Deo homo iustificetur. Et, De bonis operibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

opus exercuerunt, ac causam præbuerunt multis horrendis, abominandis, innumeris peccatis tetrarum libidinum, in quibus adhuc volutantur. Sicut autem nec nobis, nec ipsis datum est, ut ex masculino scēminam aut ex scēmella marem condamus, aut vtrunq; annihilemus: ita etiam ipsis non est datum, ut creaturas Dei disjungant, separent, vetent, ne in coniugio honestè vni cohabitent & viuant. Quare ipsorum spurco cœlibatui assentiri nolumus, nec etiam illum feremus, sed coniugium liberum habere volumus, sicut Deus illud ipse ordinauit & instituit, cuius opus nec rescindere, nec destruere, nec impedire volumus. Paulus enim dicit, prohibitionem coniugij esse doctrinam dæmoniorum, 1. Tim. 4.

XII. De Ecclesia.

Nequaquam largimur ipsis, quòd sint Ecclesia, quia reuera non sunt Ecclesia. Non etiam audiemus ea, quæ nomine Ecclesiæ vel mandant, vel vetant. Nam (Deo sit gratia) puer septem annorum nouit hodie, Quid sit Ecclesia, nempe, credentes, sancti, ouiculæ audientes vocem pastoris sui. Sic enim orant pueri: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam siue Christianam. Hæc sanctitas non consistit in amiculo linteo, insigni verticali, veste talari, & alijs ipsorum ceremonijs contra sacram scripturam excogitatis, sed in verbo Dei, & vera fide.

XIII. Quomodo coram Deo homo iustificetur. Et, De bonis operibus.

Quod de iustificatione hætenus semper & assiduè docui, mutare nec in minimo possum, videli-

cet,

cer, nos per fidem (vt Petrus loquitur) aliud nouum mundum cor acquirere, & Deum propter Christum mediatorem nostrum, nos iustos & sanctos reputare. Et etsi peccatum in carne nondum planè ablatum mortuum est, tamen Deus illud nobis non vult impurare, nec meminisse.

Hanc fidem, renouationem, & remissionem peccatorum, sequuntur bona opera. Et quod in illis pollutum & imperfectum est, pro peccato & defectu non censetur, idq; etiam propter Christum, atq; ita totus homo, cum quò ad personam suam, tum quò ad opera sua, iustus & sanctus est, & nominatur, ex mera gratia & misericordia, in Christo super nos effusa, expansa & amplificata. Quare gloriari ob merita & opera non possumus, cum absq; gratia & misericordia aspiciuntur, sed vt scriptum est 1. Cor. 1. Qui gloriatur, in Domino gloriatur, quòd scilicet habeat Deum propitium. Sic enim omnia bene se habent. Dicimus præterea, vbi non sequuntur bona opera, ibi fidem esse falsam, & non veram.

XIV. De votis Monasticis.

QUIA vota monastica è diametro pugnant cum primo principali articulo, ideo planè abrogata sunt. Ea enim sunt, de quibus Christus inquit Matth. 24. Ego sum Christus, &c. Qui enim votum facit in monasterio viuendi, is credit, se vitæ ratione sanctiorem initurum esse, quàm alij Christiani ducunt, & suis operibus non tantum sibi, sed etiam alijs exemplum mereri vult. Hoc verò quid aliud est, quàm Christum negare? Et Pontificij ex suo Thoma dicere non erubescunt, votum monasticum esse æquale & paritipsum. Hæc blasphemia est in Deum.

XV.L